

parti hominum existentium in dicto parlamento dicit esse notum.

Item super facto auxilii, & subsidii dandi, & præstandi dicto Domino Duci nomine prædicto, ac dicto Domino Marchioni super guerra, quam ei facit, & movet, ac facere se præparat Dominus Joannes Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano, Comes Virtutum indebite, & injuste contra pacem factam cum ipso Domino Marchione ec., & fratribus suis. Nam contra fidem suam, & contra proprium juramentum occupavit civitatem Astensem, & etiam deinde hostiliter occupavit locum S. Salvatoris, prout omnibus existentibus in dicto parlamento similiter notum est.

Item super facto fidelitatis præstandæ per nobiles, & vassallos, ac populares, ac terras domini Marchionatus Montisferrati prædicto Domino Joanni novo Marchioni Montisferrati propter mortem illustrissimi Domini secundi Otthonis Marchionis Montisferrati fratris dicti Domini Joannis nuper defuncti, qui decessit die 16. mensis decembris proximi præteriti in villa Langherani, districtus civitatis Parmæ, qui etiam repatriare non potuit per viam, quam acceperat sub fidantia sibi data, sicut omnibus ibidem in dicto parlamento existentibus plene constat.

Quibus sic expositis, & vulgarizatis per sapientem virum Dominum Ottolinum de Ghisalbertis legum Doctorem, Vicarium dicti Domini Marchionis, Albertonus de Prato de Montecalvo unus ex consiliariis dicti parlamenti, Ambaxiator communis, & hominum Montiscalvi, auditis, & intellectis dictis, propositis, factis pro parte præfatorum dominorum Ducis, & Marchionis ibidem præsentium dixit, & consuluit, super facto recognitionis, & fidelitatis præstandæ per nobiles, & populares Marchionatus Montisferrati dicto Domino Joanni novo Marchioni, quod dicta fidelitas, & recognitio fiat, & fieri debeat per universos, & singulos vassallos, & nobiles, & populares domini Marchionatus Montisferrati dicto Domino Johanni Marchioni Montisferrati, sicut hactenus fieri consueverit sub hac tamen conditione, quod in casu quo contingat in futurum quod absit ipsum Dominum Marchionem interficere, vel vulnerare aliquem de subditis, & fidelibus suis, seu alicui de suis subditis quantuncumque minime injuriam, vel violentiam facere realem, vel personalem, vel in eorum, aut alicujus eorum mulieribus, quod statim ipso facto, & nunc, prout & tunc omnis fidelitas, recognitio, & obedientia fienda, & præstanda dicto Domino Joanni Marchioni Montisferrati cassa sit, & vana, & nullum valorem prorsus habeat. Nam postquam fideles, & subditi Marchionatus sponte faciunt, & præstant fidem, & fidelitatem dicto eorum Domino, qua nihil excellentius præstare possunt, ita versa vice dignum, & justum est, quod ipsi habeant per effectum fidem dicti Domini Marchionis circa bonam protectionem, custodiam, & defensionem personarum, rerum, & juris suorum, & contra debitum justitiæ per ipsum nullatenus opprimantur, quoniam per illustrem quondam Dominum secundum Otthonem Marchionem Montisferrati fratrem, & prædecessorem dicti Domini Marchionis Joannis nimis acriter, & enormiter

in personis, & rebus eorum, & mulieribus, & aliis, attriti, & passi sunt innumerabiles jacturas, vituperia, dispendia, exilia, & pessimas læsiones.

Super facto vero petitionis, quam facit Dominus Comes Sabaudia, dixit, & consuluit, quod præfatus Dominus Dux cum sibi astantibus eligat sex, vel octo de suis fidelibus Marchionatus in hoc parlamento, qui super omnibus, & singulis petitionibus prædictis, & aliis tangentibus facta dicti Domini Comitis plenariam habeant potestatem dicti Domini Marchionis, & totius Marchionatus.

Super facto autem subsidii, & auxilii super guerra dixit, & consuluit quod inspiciantur militiæ debitæ Domino Marchioni, & quod reducantur ad pecuniam pro eo, quod ad præsens non bene reperitur commoditas equorum, & quod dicta pecunia detur Domino Duci, & Domino Marchioni pro subsidio dictæ guerra in tribus, vel quatuor terminis, prout ordinabit dictus Dominus Dux cum suo consilio. Post hæc Stephanus ex Dominis Gerreti juris peritus dixit, & refirmavit, & consuluit, ut supra, salvo quod fidelitates fiant dicto Domino Duci nomine Marchionis, & Fratrum, & Marchionatus usque ad complementum annorum 25. dicti Domini Marchionis, ut videant, qualiter se habebit, & quod in omnibus servetur Testamentum bonæ memoriæ illustrissimi quondam Domini Joannis Marchionis Montisferrati genitoris dicti Domini Marchionis, per quod testamentum usque ad dictum tempus omnis potestas reservata est Domino Duci præfato.

Nicolellus de Tilio simul ut supra consuluit, ut dictus Dominus Stephanus. Ludovicus Turcus consuluit ut supra, sicut prædicti cum hac additione, quod in facto subsidii dandi pro guerra fiat tam per modum militiarum, quam per modum alterius subsidii, prout melius videbitur Domino Duci, & consilio suo.

D. Ottolinus de Ghiselpertis Vicarius prædicta confirmavit, ut supra, tamen consuluit, quod nullo tempore, vel modo detur locus Clavaxii illustrissimo Comiti Sabaudia. In aliis fiat concordia de jure, vel de compositione amicabile cum dicto Domino Comite pereligendos ad hoc, ut supra per dictum Dominum Ducem in presenti parlamento, qui habeant plenariam potestatem super hoc, salvo de loco Clavaxii, super quo nullam habeant potestatem.

Facius de villa de Clavaxio consuluit, sicut prædicti alii salvo, quod non detur aliquomodo locus Clavaxii Domino Comiti Sabaudia, quia nullum jus in ipso potest habere, & dictus locus non potuit sibi obligari, & etiam homines Clavaxii non consueverunt, aut interfuerunt alicui obligationi.

Oddinus de Mirolio confirmavit, & consuluit in omnibus ut supra, & sicut alii prædicti.

In reformatione ejusdem consilii, & parlamento facto partito de sedendo ad levandum per dictum Dominum Ottolinum vicarium obtentum fuit, & placuit omnibus de parlamento prædicto nemine discrepante, quod detur potestas, & baylia tam de jure, quam de compositione, & bona concordia, prædictis eligendis super prædictis factis tangentibus dictum Dominum Comitem Sabaudia, & quod detur auxilium, & subsidium dictis Dominis per subditos suos